

B I J L A G E.

Decretum capituli generalis Ordinis Cartusiensis

annii 1725.

Cum capitulum generale S. Ordinis Cartusiensis et caput ejusdem sedem sibi elegerint in regno regis christianissimi, hujusce principis pietati, fidei et sanctionibus pro utraque tuenda se semper conformare studuerunt; atque idcirco cum per diversa decreta, ac praecipue per consultum regium, sub 19^a Aprilis anni 1722, rex christ^{mus} declarasset se velle, ut constitutio, quae incipit *Unigenitus Dei Filius*, tanquam ab Ecclesia recepta in toto suo regno inviolate servaretur, capitulum generale anni sequentis hanc eandem constitutionem servandam praescripsit per ordinationem ab ipso emanatam et ad septem provincias Franciae directam, quae incipit *Quo zelo*; quae ordinatio confirmata fuit a sequenti capitulo generali et approbata a Consilio regio per sanctionem editam sub die 14 Augusti anni 1723. Haec ordinatio promulgata fuit in omnibus provinciis et domibus Ordinis, et nominatim in dominibus provinciae Franciae ad Sequanam, in qua cum plerique se initio contra hanc ordinationem erexissent, jussum est a R^{do} Patre, auctoritate capituli generalis, ut in dominibus ejusdem provinciae Franciae ad Sequanam circa hanc ordinationem strictius serva-

rentur ea quae sunt statutis Ordinis, cap. 5 parag^o 11 et cap. 22 parag^o 32. Mandavit insuper R^{dus} Pater, eadem quae supra auctoritate capituli generalis, ut post lectam ordinationem praefatam in capitulo, diebus per statuta ordinatis, institueretur relatio juridica a priore, continens responsiones singulorum et declarationes, utrum vellent se submittere ordinationi capituli generalis, quae incipit *Quo zelo*, eamque acceptare eo modo quo acceptata fuit a toto capitulo generali et quo ipsummet capitulum generale vult et intendit ut acceptetur a suis, qui huic obedire tenentur. Qui modus a capitulo generali intentus in acceptatione constitutionis *Unig^s* et in subscriptione ordinationis *Quo zelo*, concordat cum mente Summorum Pontificum, et potissimum cum ea Pontificis ad clavum Ecclesiae modo sedentis; quam suis brevibus apostolicis notam fecit, declarando nec se nec suos antecessores unquam intendisse, ut per suas constitutiones aut earundem acceptationem aliquid detrahatur auctoritati S. Augustini aut divi Thomae aut regulis a S. Carolo pro Sacramento Poenitentiae institutis et in Ecclesia receptis, addendo dictas constitutiones juste tamen damnasse propositiones merito damnandas.

Nos definitores capituli generalis, in Majori Cartusia ex omni natione legitime congregati, visis cunctis relationibus, factis jussu R^{di} Patris, auctoritate capituli generalis, in domibus provinciae Franciae ad Sequanam, diebus per statuta praescriptis; visis responsonibus, appellationibus et retractationibus quorumdam religiosorum infra nominandorum; visis etiam literis et supplicibus libellis, ad R^{dum} Patrem super annum directis, et audita relatione dicti R^{di} Patris, — cum iis omnibus supra praefatis nobis constiterit quosdam, per tres

vices interpellatos, perstitisse in recusando obsequio supra dictae ordinationi debito, alios ab ea et a constitutione *Unig^s* appellasse ad futurum consilium generale, et tandem aliquos adhaerentes appellationi retractasse subscriptionem, quam olim puram et simplicem dederunt Formulario Alexandri VII contra falsa Jansenii dogmata — quae omnia cum adversentur declarationibus, edictis et sanctionibus regis christ^{mi}, tum super acceptatione const^{is} *Unig^s*, tum super subscriptione Formularii saepe latis — ut praevaricantes et diu obstinatos, tam frequenter a nobis paterne admonitos, revocemus ad obsequium tandem Ecclesiae, regi et superioribus suis praestandum; declaramus quod hi infra nominandi, qui post tres publicas interpellationes noluerint se submittere ordinationi capituli generalis, quae incipit *Quo zelo*, incurrerunt poenas latas a statutis nostris, cap. 22, parag^o 2, ¹⁾ contra eos qui noluerint obedire capitulo generali; quas poenas idem capitulum generale praesenti ordinatione promulgat, et consequenter interdicit et suspendit a functionibus suorum (Ordinum) ex nomine infra designatos, scilicet

Ex professis domus Luvigniaci:

- D. Antonius Hudelet, hospes in domo Borbonensi,
- D. Joannes Bap^{ta} de Mongeot, hospes in domo Vallis Profundae;

Ex professis domus Parisiensis:

- D. Joannes Bap^{ta} le Moussu, hospes in domo Rothomagi,
- D. Ciprianus Proulle, hospes in domo Trecensi,

¹⁾ Er stond: *pag. 2a.*

- D. Ignatius Beauregard, hospes in domo Rothomagi,
- D. Henricus d'Artois, hospes in eadem domo ,
- D. Stephanus Rapinat, hospes Belnae,
- D. Basilius d'Artois, hospes in eadem domo ,
- D. Hilario Bigot, in domo Parisiensi,
- D. Alexius Godin, hospes in eadem domo ,
- D. Carolus Simonet, hospes in eadem domo ,
- D. Guilielmus Galien, diaconus, hospes in domo Vallis Profundae;

Ex professis domus Fontis Beatae Mariae:

- D. Arsenius Bennaij, hospes in domo Trecensi ,
- D. Paolinus Rogere, hospes in domo Vallis Profundae ;

Ex professis domus Belnae:

- D. Benedictus Thomae, in domo Belnae,
- D. Anselmus Challet, in eadem domo ,
- D. Augustinus du Puij, in eadem domo ,
- D. Joannes Bap^{ta} Regner, hospes in domo Borboniensi ,
- D. Carolus Chretien, hospes in eadem domo ;

Ex professis domus Borboniensis:

- D. Benedictus Carbillet, in domo Borboniensi ,
- D. Emanel le Febuie (Febaie?), in eadem domo ,
- D. Franciscus Tibo, in eadem domo ,
- D. Arsenius Alleon, in eadem domo ,
- D. Georgius le Grand, hospes in domo Rothomagi ,
- D. Basilius Suard, hospes in domo Belnae.

Hos praefatos omnes et singulos nominatim declaramus interdictos et suspensos ab omnibus exercitiis suorum Ordinum, donec resipiscant; qui si perstiterint in sua contumacia usque ad sequens capitulum generale, sententia excommunicationis se noverint percutiendos, et interim priventur etiam communione laica.

Illi vero qui in contemptum declarationis regis, sub 4º Augusti 1720, appellarunt aut appellationem jam factam renovarunt, scilicet,

Ex professis domus Parisiensis:

- D. Aspasius Cheneau, hospes in domo Luvigniaci,
- D. Benignus de Loge, hospes in eadem domo,
- D. Michaël Renisaid,¹⁾ hospes in eadem domo,
- D. Futianus (Fabianus?) du Mortous, hospes in eadem domo;
- D. Nicolaüs Petian de l'Aumone, hospes in eadem domo,
- D. Bonaventura Huet, diaconus, hospes in eadem domo,
- D. Macharius Laurent, diaconus, hospes in domo Vallis Profundae;

Ex professis domus Fontis Beatae Mariae:

- D. Nicolaus le Boux, hospes in domo Bassae Villae,
- D. Jacobus Morelle, hospes in domo Vallis Profundae;

Ex professis domus Belnae:

- D. Jacobus Jubié, hospes in domo Luvigniaci;

Ex professis domus Borboniensis:

- D. Mauritius Rousselle, in domo Borboniensi,
- D. Paolus Vienot, in eadem domo,
- D. Hugo de la Trenaije, in eadem domo,
- D. Stephanus de Bonaire, in eadem domo.

Hos praefatos omnes et singulos nominatim denunciamus excommunicatos, nulla habita ratione eorum appellationis, quae ut nullius est effectus, juxta declarationem regiam, illam nullam et frivolam declaramus.

1) De twee eerste letters van dezen naam zijn niet duidelijk.

Qui vero hucusque processerunt, ut Formulario Alexandri VII, purè et simpliciter a se olim subscripto, quam dederant subscriptionem juxta edita (*sic*) regis et Ordinis mandatum, retractarunt, scilicet

Ex professis domus Luvigniaci:

D. Benedictus Houässe, hospes in domo Vallis S. Georgii;

Ex professis domus Parisiensis:

D. Urbanus Belpesce, diaconus, hospes in domo Vallis S. Georgii,

D. Leo Brunet de Seraire, diac., hospes in eadem domo,

D. Justus Prévost, diaconus, hospes in domo Bonae Fidei;

Ex professis domus Beatae Mariae:

D. Basilius Chuppé, hospes in domo Vallis S. Georgii,

D. Guilielmus Rabon, hospes in domo Bassae Villae,

D. Modestus Souflot, hospes in domo Borboniensis,

D. Philadelphus Souflot, hospes in domo Rothomagi;

Ex professis domus Divisionis:

D. Ludovicus Pendrat, hospes in domo Vallis S. Georgii;

Ex professis domus Borboniensis:

D. Franciscus du Chateau, hospes in domo Rothomagi.

Hos etiam omnes et singulos declaramus et denunciamus nominatim excommunicatos, et ne caeteris noceant, ordinamus, ut praefati cellam pro carcere et ordinem in victualibus teneant.

Illi denique qui ab obsequio, semel praestito constitutioni *Unig^s* et ordinationi *Quo zelo*, recessuri sunt, nisi post tres admonitiones resipiscerint,¹⁾ noverint se sententia excommunicationis esse nominatim, auctoritate capituli generalis, percutiendos et aliis poenis contra inobedientes per statuta latis subjiciendos.

¹⁾ Sic, pro *resipuerint*.

Omnibus praefatis adhuc misericorditer indulgemus spatium trium mensium, computandorum a die lectionis seu publicationis hujus cartae; quibus elapsis, et non ante, iis declaramus quod, nisi resipiscerint (*sic*) termino praefato elapso, subjacebunt poenis per fatam ordinationem seu sententiam capituli generalis contra eos latis, a quibus non poterunt dispensari, nisi per capitulum generale aut R^{dum} Patrem aut per alios de eorum speciali commissione.

Enim vero cum nolimus mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, liberum relinquimus Rev^{do} Patri, juxta potestatem per statuta sibi concessam, ut indulgentia erga eos qui aliquam spem conversionis fecerint, obstinatos vero severius punire, ut sibi visum fuerit, ad urgendam eorumdem emendationem, nec cuivis liceat appellare juxta editum (*sic*) regium mensis Februarii 1665, eo quod agatur de praecipuo capite disciplinae, quae una tota consistit in uniformitate cum legibus Ecclesiae, regni constitutionibus et capituli generalis ordinationibus, cui omnes obedire tenemur, cui omnes obedientiam promisimus, tanquam habenti curam animarum nostrarum et vices Dei erga nos agenti; eo maxime quod, testante Spiritu Sancto, quasi peccatum ariolandi sit repugnare, et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere. Atque idcirco obsecramus omnes Ordinis alumnos in visceribus Jesu Christi et corde paterno, ut captivent intellectum in obsequium fidei, illis propositae ab eis de quibus Deus dicit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, maxime cum sint congregati in nomine ipsius et omnium una eademque sit sententia.

Fr. Antonius, prior Cartusiae, cum reliquis de capitulo.

Naar eene copie, in 1725 op last van den
nuntius te Brussel geschreven.